



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90118014

§. 57. Guimannus ad Sedem Magdeburgensem translatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

Sæcul. XII. defendam, ad ea quæ non habet recupe-
 A.C. 1152. randa, ut potero, opem conferam. Græ-
 corum quoque Regem nullam terram ex
 ista maris parte possidere patiar, quod
 si forte aliquam invaserit, promptissime,
 si fieri possit, ejiciam. Papa in vicem
 promisit, se Regi coronam Imperii, ubi
 ad eam accipiendam venisset, daturum
 esse, se pro debito officii sui Imperatoris
 Dignitatem tuiturum & aucturum, Cen-
 suras Ecclesiasticas in eum finem adhi-
 biturum, & non commissurum, ut Rex
 Græcorum, se connivente & cessante,
 ullam ditionem citra mare obtineat. His
 foederibus vigesima tertia Martii, Indi-
 ctione decima quinta, anno millesimo
 centesimo quinquagesimo secundo, sub-
 scriptum est.

§. LVII.

*Guimannus ad Sedem Magdeburgen-
 sem translatus.*

*Chron. Sax.
 an. 1153.
 Otto c. 6.*

Sede Magdeburgensi per obitum Fride-
 rici Archiepiscopi, qui decima quin-
 ta Januarii ex humanis abierat, vacante,
 Eligentes dissentiebant, aliis Gerardo
 Præposito, aliis Decano, suo suffragio
 faventibus. Ad tollendam litem Regem
 adeunt, in Saxonia commorantem, qui
 cum dissidentes conciliare non potuisset,
 Decano ejusque clientibus suasit, ut
 Gui-

Guimannum eligerent, Episcopum Sa-
 xo-Zizensem, juvenem quidem, sed no-
 bili stemmate ortum. Tumque ad se vo-
 cato Investituram Archiepiscopatus
 Magdeburgensis contulit. Nam Curia
 Germanica affirmabat, post fœdera &
 conditiones, inter Paschalem Papam &
 Henricum V. Imperatorem de Investitu-
 ra initas, si partes in Electione Episcopi
 discreparent, Imperatori jus esse quem
 vellet, adhibito Principum consilio, ad
 Episcopatum nominare. Ceterum Fri-
 dericus Rex rebus Saxoniae compositis,
 Festum S. Petri Ratisbonae celebravit,
 ubi duo Episcopi, quos in Italiam mise-
 rat, ad eum redeuntes grata retulerunt.

Inter hæc Gerardus Præpositus
 Magdeburgensis, Romam profectus, ad
 Eugenium Papam querelas detulit, quod
 Guimannus in illam Sedem auctoritate
 Principis intrusus fuisset. Id Papæ mi-
 nime probabatur, quod dispicimus ex
 ejus Responso dato ad quosdam Præsu-
 les Germaniæ, qui hac de re, Regi fa-
 ventes, Eugenio scripserant, tres nempe
 Archiepiscopi Eberhardus Salisburgen-
 sis, Hartwicus Bremensis, & Hilinus Tre-
 virensis, octo præterea Episcopi, quos
 inter Otto Frisingensis legitur. In illa
 Epistola Papa Episcopos reprehendit,
 quod eis in hoc casu constantia defuisset,
 & Dei Legem commemorat, per quam
 Episco-

Sæcul. XII.
 A.C. 1152.

Sup. lib.
 LXVI. n. 5.

Otto c. 8.

ep. 8.

Sæcul. XII.

A.C. 1152.

Episcopos sine manifesta utilitate quin & necessitate transferre ab una Sede ad aliam non liceret. Quare præcipit; suo hortatu efficerent, ut Fridericus ab hoc molimine absteret, & Ecclesiam Magdeburgensem integra sua libertate uti permitteret, *Quoniam, inquit, contra Deum & Sacrorum Canonum Sanctiones nulli omnino petitioni possumus præbere consensum (*)*. Hæc Epistola decima septima Augusti anno millesimo centesimo quinquagesimo secundo data est.

§. LVIII.

Liber tertius de Consideratione. De Appellatione.

Hoc anno S. Bernardus Librum tertium de Consideratione scripsit, in quo Eugenio Papæ consideranda proponit, quæ infra ipsum sunt. *Nempe infra te est, inquit, universus orbis, cujus curam geras, non vero Domini more possideas. Christus hic est, qui solus orbis terrarum possessionem sibi vindicat. Nam nullum tibi venenum, nullum gladium plus formido, quam libidinem dominandi. Ad omnes quidem extendatur tua sollicitudo,*

(*) Hanc Eugenii III. sententiam Natalis Alexander in hoc Pontif. pag. 102. *Apostolico sane pectore dignam* pronunciat.